

TITULUS II.

DE CONSTITUTIONIBUS. ^a

5. *Nota. I.* Quod *Constitutio* strictè accepta significet jus à summo principe politico, vel Ecclesiastico conditum (*arg. tit. ff. de Const. Princ.*) Hic autem latè accipitur pro quocumque jure scripto, etiam statuario (*cap. 6. 7. h. t.*), ubi statutum capituli et laicorum dicitur *constitutio*. Similiter *Lex* in jure Romano strictè accipitur pro illo jure, quod à suprema potestate democratica totius populi latum est (§. 4. *In. de J. N. G. et C. l. A. 2. ff. de LL.*); et quia populus potestatem suam transtulit in principem (*l. 1. ff. de Const. Princ.*), idè constituciones principum dicuntur *Leges*, et qui eas explicant, *Legistæ*. Hic autem *Lex* accipietur latè pro quocumque jure scripto, sive comm. sive partic., et cum nomen hoc *Lex* brevius sit, à potiori illo utemur.

Nota. II. Legis Ecclesiasticæ varia esse nomina potius, quam species: nam 1.º *Canon* est constitutio edita à Concilio, quæ si fidem concernat, vocatur *dogma*.—2.º *Epistola*, seu *rescriptum* est constitutio, quam edit Papa, aut Princeps ad subditorum consultationem, interpretando jus, et volendo responsum suum instar juris haberi (*l. 1. et l. 12. §. 4. C. de LL.*), qualia rescripta plurima sunt in Jure Canon. et Codice.—3.º *Decretum* est sententia à Principe lata, quam ipse jubet pro lege communi observari (*l. 12. pr. C. de LL.*)—4.º *Edictum* est, quod Princeps motu proprio ad utilitatem et honestatem subditorum statuit (*l. 1. §. 2. ff. de Const. Prin.*); et quidem, si nullam pœnam contineat, dicitur *Interdictum*, non pro censura, sed pro constitutione supponens; si verò transgressoribus pœnam statuit, dicitur *Sanctio*.—5.º *Mandatum* est, quod Papa suis Legatis, vel Princeps præsidibus dat ad gubernandam suam provinciam (*cap. 2. 4. de off. leg.*) Sed hæc nomina sæpè in jure permiscentur: sic enim in Trident. statuta mores concernentia vocantur *Decreta reformationis* etc.

His præjactis, hic examinabuntur: 1.º natura et divisio legis. 2.º causæ et effectus. 3.º obligatio legis penalis et irritantis, fundatæ in præsumptione et fictione juris, et tandè mutatio ac interpretatio legum.

§ I.

De natura et divisione legis.

6. Q. I. *Quid sit lex?*

R. Lex latè sumpta est Commune præceptum, seu ordinatio rationis ad

^a—De hac materia agitur in Sexto *cod. tit.*—In Decreto a d. 1. usque ad dist. 22. fere per tot. et d. 29. 38. 96.—In Trit. *Sess. 25. cap. 18. de reform.*—In Instit. *lib. 1. tit. 1. 2.*—In Pandectis *lib. 1 tit. 1. 2. 3. 4.*—In Codice *tit. 14. usque ad 18.*—et Nov. 66.

bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata. (S. D. 4. 2. q. 90 a. 4. et communis conformiter l. 4. 2. ff. de LL.) Nam per legem non aliud intelligimus quam certam et stabilem regulam, qua auctoritative regatur communitas in ordine ad suum proprium bonum, ut ait Isidor. c. 2 d. 4: *Lex nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium conscripta*. Ex his patet differentia inter *legem* et *præceptum* specificè sumptum: nam lex debet esse: 1.º *publica et communis*, quia à publica potestate fertur pro toto populo: 2.º *perpetua*, non positivè quasi semper deberet durare, sed negativè, quia morte legislatoris non extinguitur; sed semper durat, nisi revocetur, vel contraria consuetudine tollatur (*l. 27. Cod. de testam.*) ibi: *quod non mutatur, quare stare prohibetur*: 3.º *restricta* ad certum territorium principis, extra quod non obligat, cum extra territorium jus dicenti non pareatur impunè (*c. fin. h. t. in 6. l. fin. ff. de jurisd.*). Econtra præceptum de se est *privatum*, et uni dari potest etiam à patrefamilias, vel domino *temporali*, cum morte præcipientis extinguitur, juxta illud: *mandatum morte mandantis intercidit* (*ex l. 57 ff. Mandati*), et porrigitur extra territorium, quia sequitur personam, ubicumque sit.

Obj. 1.º Leges militares, pupillares, et privilegia Clericorum, Religiosorum etc. feruntur in bonum particulare harum personarum, uti et lex correctionis fraternæ in bonum fratris.—2.º In jure mentio fit legum privatarum, (ut *reg. 83 in 6. can. duæ sunt 19 qu. 2 c. 46 de sponsal.*)—3.º Populus ferre potest leges (*arg. l. 1. 2. ff. de LL.*): sed in populo non est potestas publicæ, benè verò in Principe; ergò lex necessariò non fertur à potestate publicæ.

R. Ad 1.º Privilegia, quæ dicuntur *leges personales* (*l. 1. fin. ff. de Constit. Princ.*), licèt ordinariè non obligent privilegiatos, obligant tamen ceteros de communitate, ne privilegiatum impediunt in usu sui privilegii; et ultimè tendunt in bonum commune, quia Reipubi. interest quibusdam personis ob speciales rationes certa privilegia concedere.—Ad 2.º Leges istæ sunt improprie tales; ut conventio contrahentium, votum, propositum etc.—Ad 3.º D. M. Populus in democratia, dum potestas summa est penes populum C. M.: in monarchia, N. M.

7. Q. II. *Quæ sint requisita substantialia legis?*

R. I.º *Ex parte Legislatoris* est potestas jurisdictionis, et voluntas obligandi. 2.º *Ex parte materiæ*, ut sit honesta, justa, et possibilis. 3.º *Ex parte ipsius legis*, ut sit secundum patriæ consuetudinem, cum non omnis lex in omni terra ferri possit, sed alio jure exigat regi populus iste, alio ille. Itè ut sit loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, et manifesta tum quoad sensum, ne quid per obscuritatem captionem contineat, tum quoad promulgationem, ut toti communitati innotescat, atque in ejus commodum cedat (*can. 2 erit. d. 4.*) Si quid horum desit, etiam lex deficit, et ideo multæ constitutiones politicæ et ecclesiasticæ in certis locis non obligant, quia respectu horum locorum non sunt instructæ dictis requisitis.

8. Q. III. *Quotplex sit virtus, seu vis legis?*

R. Duplex: *directiva*, quia lex est regula actuum humanorum; et *coac-*

tiva, quia adigit subditos ad sui observantiam, et transgressores punit. (*can. 2. d. 3 et c. 1 d. 4.*) Virtutis autem legalis actus sunt quatuor: *imperare, vetare, permittere, punire* (*l. 7 ff. de LL.*); nam ad virtutem *directivam* pertinet imperare actus bonos, vetare malos, permittere indifferentes, vel minus malos ad evitandum magis malos; ad *coactivam* verò pertinet punire delicta contra legem commissa.

Dices, legis etiam præmiare bonos (*can. 4 d. 3 l. 1 §. 1 ff. de J. et J.*); item inhabilitare, irritare, rescindere, transferre dominia etc.; ergo plures sunt actus legis.—*R.* Præmiare est etiam privatorum: si verò præmium sit legale per modum juris singularis (uti sunt multa privilegia Regularium, quæ Sedes Apostolica erga operarios suos liberalissima eis concessit, ob labores in Ecclesia præstitos), reducuntur ad legem præcipientem, vel prohibentem, uti et ceteri actus relati.

9. Q. IV. *Quomodo lex dividatur?*

R. 1.º In *Æternam, naturalem, et positivam*. *Æterna* est ordinatio divinæ sapientiæ creaturas dirigentis in bonum commune universi, quod est gloria Dei. *Naturalis* activè sumpta ex parte legislatoris est ipsa lex æterna Dei; sumpta verò passivè ex parte creaturæ, est lumen rationis dictans bonum facere et malum declinare, cujus quædam umbra est in creaturis irrationalibus juxta illud (*l. 1 §. 3 ff. de J. et J.*): *Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit*. *Positiva* ex eo dicta, quia aliquid ponit, seu superaddit legi naturali, est ordinatio quæ ex placito voluntatis aliquid constituit, quod ex se non est intrinsecè bonum, vel malum.—2.º *Positiva* alia est *divina* veteris, et novi testamenti, quæ posita est à Deo; alia *humana*, quæ à legislatore humano constituitur. De lege Angelica nihil hic inquirendum.—3.º Lex humana est triplex: *Gentium*, quæ inter integras gentes constituta est, et hæc potius ad jus consuetudinarium referenda est, cum ortum habeat ex tacito consensu gentium. *Civilis*, seu *politica*, quæ fertur à potestate laica, populi, vel optimatum, vel principis. *Canonica*, seu *Ecclesiastica*, quæ fertur à potestate spiritali Papæ, aut Prælatorum Ecclesiæ.—4.º Lex alia est *affirmativa*, qua præcipitur actus fieri; alia *negativa*, qua prohibetur actus fieri, quibuscumque verbis efferantur.—5.º Lex dividitur in *favorabilem, et odiosam*: *favorabilis* primario fertur in favorem, seu commodum alicujus, licet secundario, et in consequentiam aliquod incommodum alteri adferat, uti Scutum. Vellejam., leges pupillares, exemptiones Regularium etc.; *odiosa* primario fertur in odium, seu detestationem alicujus, ut Scutum. Macedonianum in detestationem feneratorum; item leges contra hæreticos, usurarios, simoniacos etc. Hic tamen observa, quod ex usu juris et DD., privilegia contra jus commune vel jus tertii concessa, dicantur odiosa, non quòd in odium et detestationem tertii lata sint, sed quòd continendo favorem unius, juri alterius derogent; ob quod etiam strictam habent interpretationem, ut privilegium percipiendi decimas in alterius parochia etc.—6.º Denique lex dividitur in *pœnalem irritantem, fundatam in præsumptione, vel fictione juris*, de quibus infra. Ceterum tractationem de jure naturali et divino remittimus ad theologos, et videri potest S. D. 1 2 q. 94 et seqq., ubi materiam istam solidè tractat,

præsertim explicando legem veterem circa præcepta moralia, cæremonialia et judicialia, et novam legem Evangelicam, ubi dignissimus est lectu. Item Civilistæ fusè tractant de jure naturali, et gentium, et civili: ad *tit. Inst. de J. N. G. et C.* Nobis potissimum sermo in seqq. erit de lege Ecclesiastica, quamvis plurima accommodari possint legi civili.

§ II.

De causis et effectu legis.

10. Q. I. *Quis possit condere leges Ecclesiasticas?*

R. 1.º *Papa* vel solus, vel cum concilio generali pro tota Ecclesia, (*d. 49. per tot.*) ubi *c. 2.* dicitur: *Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiende sunt, tanquam ipsius divi Petri voce firmatæ sint*; nam Papa etiam solus assumptus est in plenitudinem potestatis ecclesiasticæ. (*c. 4. de auct. pallii.*)—2.º *Concilia* nationalia pro toto Regno, seu natione; provincialia pro provincia (*dist. 18. per tot.*); Episcopus verò sive solus, sive in Concilio diocæsano leges fert tantum pro sua diocesi, similiter Patriarchæ et Archiepiscopi, extra Concilium nationale vel provinciale, non possunt leges ferre, nisi pro sua propria diocesi, quia in subditos alienæ diocesis, quibusdam articulis exceptis, nullam potestatem habent. (*c. 11. de off. ordin.*)—3.º *Legati* Apostolici in provincia suæ legationis. (*c. fin. de off. legat.*); nam ibi jurisdictionem ordinariam habent.—4.º *Collegium Cardinalium*, Sede Papali vacante, non potest condere leges pro tota Ecclesia. Ità Gregor X. in Conc. Lugdun. (relato in *cap. 3. de elect. in 6. ibi; iisdem quoque Cardd.*); quam constit. confirmavit Clem. V. in Conc. Vien. (relat. *Clem. 2. eod.*), ex qua ratio desumitur, quia potestas Papalis non transit in collegium Cardinalium, siquidem nec Christus summam potestatem dedit Ecclesiæ seorsim à Petro, sed Petro super totam Ecclesiam: nec novus Papa potestatem accipit à Cardinalibus electoribus, sicut accipit Rex à populo, sed immediatè à Christo: *Joan. 22. Pasce oves meas*; ergò defectu summæ potestatis præfatum collegium non potest leges ferre pro tota Ecclesia, sed tantum aliqua disponere pro instantibus necessitatibus (*cit. c. 3. in 6.*) Nec absurdum est, quod Ecclesia illo tempore sit sine capite visibili, quia neque id absurdum fuit Christo per triduum mortuo. At Cardinales in Ecclesiis suorum titularum possunt leges condere, quia ex privilegio habentur in illis pro Ordinariis.—5.º *Capitulum cathedrale*, sede vacante, potest ferre leges pro tota diocesi, quia mortuo Episcopo, ex juris dispositione jurisdictione necessaria transit in capitulum (*c. 14. de M. et O., c. 1. eod. in 6. et c. 3. de suppl. negl. in 6.*); nam Papa ob causam necessitatis et utilitatis hanc jurisdictionem concedere potuit capitulo, licet totam dignitatem et jurisdictionem Papalem non possit transferre in Collegium Cardinalium. At Sede plena Canonici non possunt condere nisi aliqua statuta, quibus

tantum ipsi soli obligentur, citra præjudicium Episcopi et Ecclesiæ (c. 6. h. t. et arg. cap. 9. de consuet. à sens. contr.)—6.º Prælati inferiores, et Regulares, quibus jurisdictio competit, leges condere possunt, quantum eis à jure et propria regula permittitur.

11. Q. II. An Papa, et principes Ecclesiastici, condere possint leges civiles pro suis territoriis?

R. Affirmative (per extrav. 1 de Ma. et O. inter com.): nam potestas spiritualis, utpotè superior, non excludit politicam, utpotè inferiorem, sed potius eam perficit. At extra territorium sibi subjectum, Papa non potest leges civiles ferre (c. 13 de judic), nisi per accidens, ita exigente bono spirituali.

12. Q. III. An Prælati Papa inferiores condere possint leges contrarias juri communi Pontificio?

R. Negative, ex can 7 institutionibus 25 q. 2 et c. 9 de M. et O.) ibi: dummodò in ipsa Synodo non ducas aliquid statuendum, quod Canonice obviet institutis). Nam Papa est ordinarius Ordinariorum et pastor universalis, cujus jus debet esse regula aliorum jurium Ecclesiasticorum; ergò sicut inferior non potest ligare superiorem, ita nec solvere legem ipsius. Nec obstat, quod Principes Imperii condant juri communi civili: nam isti in suo territorio non recognoscunt superiorem, cujus jurisdictio immediate terminetur ad eorum subditos: secus est in Papa et Prælati inferioribus.

13. Q. IV. Quæ sit materia, seu objectum legis Ecclesiasticæ?

R. 1.º Objectum legis præcipientis per se est actus bonus ut faciendus, vetantis actus malus ut omittendus, permittentis actus ex se indifferens, vel permissio minoris mali ad evitandum majus malum; quæ permissio respectu Legislatoris est bona, cum non sit approbativa mali, sed tantum pænæ dissimulativa. Præterea actus ex se indifferentes, si necessarii vel utiles sint ad bonum commune, possunt esse materia legis præcipientis; vel econtra si obstant bono communi, materia legis vetantis, quia in talibus circumstantiis desinunt esse indifferentes.

14. Q. V. An actus merè internus possit esse materia legis Ecclesiasticæ?

Affirmat Gloss. in Clem. 1. de hæret. Carden. et alii; negat S. D. 1. 2. q. 94. ar. 4. et q. 100. a. 9. cum plurimis TT. et Can. cum quibus:

R. Negative. (arg. c. 34. Tua nos, de simon.) ibi: Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare; ergo et leges ferre, cum potestas judicativa descendat ex legislativa, et (Can. 13. de pœnit. d. 1.) cogitationis pœnam nemo patitur; ergò sicut potestas humana non potest punire actum merè internum, ita nec potest illum præcipere vel prohibere, cum de ratione legis non tantum sit vis directiva, sed etiam coactiva (arg. Can. 1. d. 4.) Ratio est, quia licet Deus absolute potuerit dare Ecclesiæ potestatem in actus internos, reservando sibi judicium et punitionem, de facto tamen eam datam non constat: tum quia cum solus Deus sit scrutator cordium, sufficit ejus lex naturalis et divina positiva ad dirigendos actus internos; tum quia conveniens est Ecclesiam sensibilem gubernari legibus sensibilibus, seu circa materiam externam legis; tum quia actus merè interni nec prosunt, nec obsunt bono communi spirituali in externo gubernio relucenti: tum

quia hactenus nullum simile præceptum, nec ab Apostolis, nec à Conciliis, nec à SS. Pontificibus promulgatum est.

Obj. Adversarii:—1.º generalem potestatem Papæ ligandi et absolventi.—2.º decreta fidei in Conciliis edita, ut Trid. sess. 13. de Euchar. ibi: credere; propos. n. 10. 11. 13. etc. ab Innoc. XI. damnatas.—3.º Trid. sess. 14. cap. 4. de contritione, et can. 3. ibid.; propos. n. 25. ab Innoc. XI. damnatam.—4.º Clement. 1. de Hæretic. ibi: quod si odii, et Clem. 1. §. quia veræ, de statu Monach.; Const. Bened. XIII. Ex quo §. 6. ibi: animo præmeditato, ubi ab asylo excluditur committens homicidium animo præmeditato.—5.º Can. 8. d. 30. et Concil. Constan., Trident. et alia anathematizantia omnes sentientes contrarium dogmatibus ab Ecclesia definitis: talis autem sensus, seu judicium est internum.—6.º Papa reservat, et dissolvit vota interna (Extrav. 5 de Pœnit. et rem., c. 2. et 5. de voto) etc.

R. Ad 1.º Generalitas potestatis legislativæ restringenda est ad actus externos: nam sicut Papa actus merè internos solvere nequit per judicium, ita nec eos ligare potest per legem.—Ad 2.º Papa et Ecclesia declarat quando et quomodo jus naturale et divinum circa fidem obliget in conscientia, non verò lege humana præcipit actus internos fidei, spei etc.—Ad 3.º Actus externus v. g. confessionis, communionis, orationis directè præcipitur, indirectè verò actus internus tanquam necessarius ad positionem exterioris.—Ad 4.º Lex est circa actum vel omissionem exteriorem, ut fit ex pravo fine seu intentione; ut si Inquisitores ex amore vel odio non procedant, si monachi accedant Curias Principum animo nocendi suis Prælati etc.—Ad 5.º Sensum interiorem catholicum exigit jus naturale et divinum, anathema verò Ecclesiæ infligitur, si hæresis prorumpat in actum exteriorem, etiam occultum.—Ad 6.º Nec reservare, nec dissolvere vota interna est præcipere actum merè internum: nam reservatio est restrictio jurisdictionis externæ, dissolutio verò voti est ablatio obligationis à voluntate voventis inductæ.

15. Q. VI. An actus præteritus sit materia legis?

R. 1.º Non est materia legis præcipientis, vel prohibentis, vel punientis, regulariter loquendo. Ità c. 2. et fin. n. t. ex l. 7. C. de LL. ibi: Leges et constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, non ad facta præterita revocari, nisi nominatim, et de præterito tempore, et adhuc pendens negotiis cautum sit: nam legis est dirigere, sed facta præterita amplius dirigi non possunt.—2.º Actus præteritus sicut potest esse objectum sententiæ judicialis rescindentis, ita quoque legis irritantis, modò irritatio præteritorum in lege exprimitur. (c. 6. 7. 10. 12. h. t., c. 8. 9. 10. de Reser., Trid. sess. 7. c. 2. 3. 6. 9. de reform., sess. 24. c. 4. etc.) Similiter actus præteritus potest esse objectum legis interpretativæ, quæ declarat jus antè existens, sive naturale, sive positivum, quo sensu explicantur c. 40. ut lex. 27. q. 1. c. fin. de Spons. duor. c. 40. ut de simon. c. 5. de usur., ubi declaratur jus naturale de usuris; excommunicatio verò tangit eos, qui de præsentibus usuris retinent, et restituere nolunt.—3.º Personis antè institutis lex præscribere potest novam formam et conditionem, puta circa actus futuros. (Clem. 2. de tetat. et qualit. præfic. Trident., Sess. 22. c. 4. de re-

for., Sess. 25. cap. 21. de Regg. etc.)—4.º Princeps delicta præterita quibus determinata pœna non fuit annexa, arbitraria pœna punire potest, et hanc in posterum pro ordinaria statuere, quo sensu explicantur *can. 3. 7. caus. 35. q. 9. et c. 39. et fin. de Rescr.*; aliòquin præteritis delictis infligenda est pœna prioribus legibus statuta (*arg. c. 2. h. t.*)

46. Q. VII. *Quæ requirantur ad formam extrinsecam legis?*

R. Sequentes solemnitates, ex quibus colligatur legislatoris imperium, seu forma intrinseca legis. Et 1.º requiruntur verba obligationem significantia, ut *præcipimus, prohibemus, nullus præsumat etc.* Verba dubia, ut *ordinamus, sancimus, cavete, non fiat*, et similia, nisi aliud ex subjecta materia colligatur, non tam imperium, quam consilium, seu decentiam significare præsumuntur.

2.º Requiritur promulgatio publica toti communitati facta, ita ut lex ex parte sui non sit obligatoria citius, nisi ut promulgata (*canon. 3. d. 4.*) ibi: *leges instituuntur, cum promulgantur*: nam lex, seu præceptum commune, ex natura sua exigit legi coram populo (*l. 1. 2. ff. de LL.*), ut non insinuatione privata, sed auctoritative denunciatur, et intelligatur ab omnibus (*l. 3. 9. C. LL.*); ergò promulgatio activa requiritur ad substantiam legis, non tamen scriptura (*can. 7. institutionis 25. q. 2.*, ibi: *sive quæ scripto decrevimus, sive quæ in nostra præsentia videntur esse disposita*. Unde ordinatio in consistorio legislatoris facta et prælecta, antequam publica promulgatione compleatur, non est obligatoria, nec actu lex, sed solum aptitudine: quo sensu procedit Brocardicon: *præius leges instituuntur* (hoc est concipiuntur) *quàm promulgantur*.

3.º Ut lex Pontificia obliget, sufficit eam Romæ fuisse sufficienter et publice promulgatam. Ita hodiè com. sententia ex stylo Curie Romanæ, qui vim juris habet. Quod ipsum praxis et experientia probat: nam regulæ Cancellariæ in materia communi ac multæ constitutiones Pontificiæ sunt obligatoriæ, licet extra Romam non sint promulgatæ: siquidem quod Romæ tanquam in communi fidelium patria promulgatur, censetur ubique esse promulgatum et notum. Excipe, nisi in ipsa constitutione Pontificia præcipiatur, ut promulgatio fiat in singulis diocesisibus, vel terminus obligationis futuræ assignetur, ut *cap. 13 de pœnit. et remiss.* Bulla Pii IV. *Sicut ad sacerorum ad calcem Trid. etc.* His non obstat *nov. 66 in Rubr.* ubi statuitur legem civilem non esse obligatoriam, nisi post bimestre publicationis in singulis provinciis factæ: nam solemnitates istæ civiles nunquam receptæ erant à Curia Romana; vel si aliquandò observatæ sunt, hodiè jure styli romani eis derogatum est, ut opposita sententia Pichler et antiquorum non mihi videatur satis tuta pro foro interno; aliòquin ab observantia plurimarum constitutionum, quæ hic in nostris partibus solemniter publicatæ non sunt, excusaremur.

47. Q. VIII. *An lex pendeat à populi acceptatione, ita ut hæc requiratur ad formam, seu solemnitatem legis?*

R. Negativè: nam Alex. VII. damnavit hanc propositionem: *Populus non peccat, etsi absque ulla causa non recipiat legem à principe promulgatam*; ergò lex est obligatoria ante acceptationem populi. Ratio quoad legem

Pontificiam est, quia B. Petrus ejusque successores acceperunt potestatem legislativam, non à fidelibus, sed immediatè à Christo, *Matth. 16 Joan. ult.*; ergò lex Pontificia ut obligatoria non pendet ab acceptatione fidelium. Quoad legem civilem principis, prob. ex *l. 1 princ. ff. de Constit. Princ. Quod Principi placuit, legis habet vigorem*; ergò vigor, seu obligatio legis pendet à sola voluntate Principis debitè communitati intimata. Ratio utriusque est, quia is qui tenetur obedire legi, non habet in arbitrio acceptare vel rejicere legem: imò sicut obedientia, ita et acceptatio est effectus legis; sed subditi tenentur obedire legi Superioris ex præcepto IV. decalogi; et *Rom. 13 Omnis anima etc.*; ergò. Interim tamen consensus populi in legem multum conducit ad firmitatem accidentalem legis, ne illi contraria consuetudo prævalcat per *can. 3 d. 4* ibi: *Leges firmantur, cum moribus utentium approbantur*.

Obj. 1.º Lex pendet à sponsione populi (*l. 1 2 ff. de LL. et l. 32 eodem.*) ibi: *nam cum ipsæ leges, vel à consensu procerum* (*l. 8 C. de LL.*)—2.º Communiter dicimus: *Lex ista non obligat, quia non est recepta*. Quo facit *c. 6 de Cler. conjug. can. 2 et seqq. d. 4.*, in cujus fine subditur: *hæc etsi legibus constituta sunt, tamen quia communi usu approbata non sunt etc.*

R. Ad 1.ºm Citt. leges procedunt in democratiâ populi Romani, et tunc lex ut condenda pendeat à consensu populi, non verò ut condita; de hac enim dicitur (*cit. l. 2.*): *Lex est, cui omnes obtemperare convenit*. Idem dicas in aristocratia respectu optimatum, et in monarchia ubi proceres vel populus reservavit sibi suffragium in ferenda lege: *l. 8. C.* procedit de prævia consultatione procerum.—Ad 2.ºm Phrasis ista hunc habet sensum: quod populus justa habeat gravamina, ob quæ lex aliqua, vel non est moraliter possibilis, vel non satis utilis communitati, in quibus circumstantiis lex deficit à sua vi (*can. 2. d. 4.*) Sic jura in contrarium solvuntur.

48. Q. IX. *Quis sit finis legis?*

R. Intrinsecus et proximus est honestas objecti cadentis sub legem; extrinsecus et ultimus est bonum commune Reipublicæ, seu cives facere bonos et felices; nam lex pro communi civium utilitate conscripta est (*can. 2. d. 4.*)

49. Q. X. *Quis sit effectus legis?*

R. Primarius est obligatio ad sui observatiam, (*l. 2. ff. et l. 3. C. de LL.*), et *c. 1. h. t. Canonum statuta custodiantur ab omnibus*. Porro omnis lex propriè talis, ut differat à consilio, quod non est obligatorium, debet in conscientia ad aliquid obligare, vel immediatè ex parte materiæ *præceptæ*, vel *prohibitæ*, ut actus fiat, vel non fiat; vel *permissæ*, ne quis impediatur in actu permissio: vel saltèmediatè post sententiam judicis ad pœnam legibus taxatam, aut arbitrariam; ita ut delinquens ex culpa juridica teneatur in conscientia subire pœnam à judice inflictam, nam omnis lex est rationabile Superioris præceptum, cui parere præcipit jus naturale, utiquè in conscientia obligans.

2.º Legistator humanus obligare potest in conscientia ad culpam theologiam. Ita sententia certa ex præcepto IV. Decalogi, et *Rom. 13. v. 1. et seqq.* et *1. Petri c. 2.* ibi: *Subditi estote propter Deum etc. quia sic est volun-*

tas Dei. Ex quibus textibus ratio desumitur: nam quod Deus et jus naturale præcipit in thesi seu genere, hoc legislator humanus determinat in hypothesi, seu in specie et particularibus circumstantiis: v. g. jus naturale dicitur Deum colendum; Papa hoc jus determinat, ut Deus colatur hoc modo, per celebrationem certi festi, auditionem missæ, recitationem horarum canonicarum etc.: jus naturale dicitur principem esse sustentandum à subditis, quorum salutem invigilat; princeps hoc jus determinat, ut quisque subditus, servata proportione, ad hanc sustentationem concurrat per justa tributa imposita etc.; ergo sicut jus naturale obligat in conscientia, ita quoque lex humana determinativa juris naturalis obligare potest in conscientia ad culpam theologicam, quia scilicet hæc est voluntas Dei. Ex quo solvitur principale argumentum: quod inferior non possit obligare in foro superioris, neque ad pœnam, quam ipse infligere nequit, uti est pœna æterna pro culpa mortali: nam ex voluntate et concessionem Dei potest homo obligare in foro conscientiæ, ita ut inflictio pœnæ æternæ reservetur iudicio divino.

20. Q. XI. *Quis lege humana obligari possit?*

R. 1.º Generaliter solus subditus jurisdictioni legislatoris lege ipsius directè obligari potest (*l. 2. ff. de LL.*) ibi: *Ad cujus præscriptum omnes, qui in ea Republica sunt, vitam instituere debent.* Hinc Clerici non tenentur legibus civilibus, quia non sunt subditi potestati laicæ (*c. 10. h. t.*) Si tamen leges in materia communi et accommodata sint pro felicitate redundante non solum in laicos, sed etiam in Clericos, hi saltem indirectè illis obligantur, idque ex generali Pontificis permissione, quam suadet æquitas naturalis.

2.º Legibus ecclesiasticis ligantur omnes baptizati, etiam hæretici, usum rationis habentes (*c. 1. h. tit.*) Hinc minoribus septennio, ubi usus rationis non præsumitur adesse, et impuberibus usu rationis necdum pollebentibus licitè dantur carnes die veneris, quia hi nec in actu primo incæperunt obligari legibus ecclesiasticis. Econtra, quia ebrii vel amentes, saltem habitualiter obligati sunt de legibus, et infantes lege naturali congeniti, ideò nec ebriis die vetito carnes licitè dantur, nec infantes licitè incitantur ad id, quod jure naturali est vetitum.

3.º Peregrini extra territorium suum existentes, non tenentur legibus sui territorii (*cap. final. hoc tit. in 6*); quia lex non egreditur fines territorii. Similiter peregrini non obligantur legibus particularibus alieni territorii, quia non sunt subditi, nisi ratio scandali aliud exigat: quo sensu explicatur *can. 11. d. 12, et c. 2. de observ. jejun.* At obligantur legibus communibus pro communi utilitate incolarum et peregrinorum latis, ut circa vectigalia, contractus etc.

4.º Religiosi exempti non ligantur legibus diocesanis, quia non sunt Episcopo subjecti. Excipe casus à jure expressos, ut observare interdicta et festa ab Ordinariis promulgata, ire ad consuetas processiones publicas (*Trident. sess. 25. c. 12. et 14. de Regul.*), nisi specialiter exempti sint à processionibus.

21. Q. XII. *An princeps in materia sibi accommodata indirectè obligetur suis legibus?*

Schmalzgr. Salmant. et alii docent non obligari, nisi ratione scandali, et aliàs ex sola decentia et honestate naturali. Sed verior sententia cum S. D. (*l. 2. q. 96. a. 5. ad 3.*) docet obligari, non quidem quoad vim coercitivam, quia non habet superiorem à quo puniatur, sed quoad vim directivam, seu in conscientia. Cum hac sententia:

R. Affirmativè, conformiter dicto Christi: *Matth. 23. Alligant onera importabilia etc.* Prob. 1.º ex *cân. 2. d. 9. Justum est Principem legibus obtemperare suis etc.*; et *c. 6. h. t.* ubi Innoc. III. approbat plenum æquitate edictum Prætoris *l. 1. ff. Quod quisque juris in alterum statuit, eodem ipse uti debet*: quo etiam facit *can. 20. non liceat 12. q. 2.*—Prob. 2.º ex *l. 4. C. de LL. Digna vox est majestate regnantis legibus alligatum se Principem profiteri, reverà majus imperio est submittere legibus Principatum.* Idem probatur ex *§. fin. In quib. mod. testam. infr. l. 3. C. de Testam.*, et confirmatur auctoritate S. Th. *loc. cit.* dicentis: *Tantum ad Dei iudicium Princeps non est solutus à lege, quantum ad vim directivam ejus*; qui textus plus sanè probant, quam obligationem solius decentiæ. Ratio etiam est, quia jus naturale dicitur Principem debere prælucere suis subditis in observantia legum pro bono communi conditarum, cum ille magis quam subditi, teneatur studere bono communi; tum quia caput debet conformari suis membris: per *can. 2. d. 8. Turpis est omnis pars suo universo non congruens.*

Obj. 1.º Non apparet, unde ista obligatio proveniat—2.º Obligatio legalis procedit à jurisdictione superioris (*l. 51. ff. de receptis qui arbitr. l. 10. ff. de jurisdict. c. 20. de elect.* ibi: *cum non habeat.*) Princeps autem non est se ipso superior.—3.º Princeps non obligatur legibus suorum antecessorum (*cit. c. 20. de elect.*) cum non habeat imperium par in parem; ergo nec suis legibus.—4.º Princeps legibus solutus est (*l. 31. ff. de Testam. §. fin. In quib. mod. testam. infr. Nov. 105. c. 2. in fin.*)—5.º Ridicula est obligatio, quam tollere est in potestate obligati; sed Princeps tollere potest suam obligationem, abrogando legem, vel in ea dispensando; ergo.

R. Ad 1.º Obligatio ista provenit ex jure naturali, non absolutè, sed conditionatè, seu ex suppositione quod princeps legem tulerit bono communi utilem: tunc enim non minus, imò magis Princeps quam subditi tenetur hoc bonum procurare per observantiam legis; et ideò durum iudicium his qui præsumunt.—Ad 2.º D. M. Obligatio directa, C. M. indirecta N. M. Princeps indirectè solum obligatur à sua lege, directè verò à Deo superiore, seu jure naturali: non quidem absolutè, sed ex suppositione, ut mox dictum.—Ad 3.º Quamdiù leges istæ manent obligatur eis indirectè, licet supra leges sit eo sensu, quod ex juxta causa eas tollere, immutare, vel dispensando relaxare possit: quo sensu, procedit *cit. c. 20. de elec., Nov. 105. c. 2. in fin.*, ubi leges ab ipso Deo dicuntur subjectæ esse Principi.—Ad 4.º Princeps quoad vim coercitivam solutus est legibus, non verò quoad vim directivam, ut ex probatis, nisi materia non esset accommodata Principi, sicut in legibus venatoriis, piscatoriis, circa arma gestanda etc.—Ad 5.º Princeps sine justa causa non potest licitè tollere, vel dispensando relaxare legem bono communi utilem; ergo obligatio ista non est ridicula, imò si tollat legem, cessat inæqualitas inter eum et subditos.

Sed quæres: an etiam legibus irritantibus Princeps ligetur.—R. Si irritatio apposta est propter honestatem morum et securitatem justitiæ, Princeps tenetur attendere actus ab aliis celebratos sub præscriptis solemnitatibus; et ideo ex imperfecto testamento non capit hæreditatem, vel legatum, (l. 23. ff. de legat. 3. et l. 4. C. ad L. Falc.) At si ipse Princeps scienter omissis solemnitatibus actum gerat, dispensare secum censetur (l. 8. ff. de Manu-miss. l. 3. ff. de off. Prætor. l. 19. C. de testam.), quia summa majestas purgat omnem suspicionem fraudis. Si irritatio est inducta à jure humano, Princeps, sicut non ligatur legibus, ita nec actus ab eo gestus est irritus.

§. III.

De lege pœnali, et irritante.

22. Q. I. *Quid, quotuplex et qualiter obligatoria sit lex pœnalis?*

R. 1.º Lex pœnalis est, quæ transgressori pœnam statuit.

2.º Est duplex, *purè pœnalis* quæ præcisè obligat ad pœnam; et *mixta* quæ aliquid præcipit vel prohibet sub certa pœna; estque vel *copulativè mixta*, quæ obligat sub culpa et pœna, v. g. prohibemus ne Sacerdos in scenam prodeat sub pœna depositionis; vel *disjunctivè* seu *alternativè mixta*, quæ obligat ad alterutrum in textu expressum, v. g. Clericus in minoribus Ordinibus constitutus uxorem non ducat, aut privatus beneficio existat.—Pœna alia est *sententiæ latæ*, quæ ipso jure et facto incurritur; alia *ferendæ*, quæ primùm post sententiam judicis incurritur.—Item alia est *medicinalis*, quæ propter præsentem contumaciam infligitur ad emendationem et resipiscentiam delinquentis, uti sunt censura; alia *vindicativa*, quæ in punitionem prioris delicti statuta est.—Rursùm, alia est *positiva*, quæ ad sui exequutionem opus habet positiva actione, ut solvere pecuniam etc.; alia *privativa propriè*, quæ delinquentem privat jure jam quæsito, ut officio, beneficio etc.; alia *conditionalis*, seu *privativa improprie* quæ ob defectum conditionis privat certo jure, aut favore, quem jus non aliter concedit, nisi impleta conditione. Sic privilegio fori privatur minorista non beneficiatus, si habitum et tonsuram non deferat, et alicui ecclesiæ non deserviat; et Canonicus privatur fructibus pro rata, si horas canonicas omittat. Et hæc *conditionalis* non est propriè pœna, sed negatio cujusdam beneficii sub conditione concessi, qua non posita, non acquiritur hoc jus et beneficium.—Dabilis est lex purè pœnalis: nam tota vis legis pendet à voluntate Principis (arg. l. 1. ff. de Constit. Princ.); ergo si Princeps vult, obligare potest ad solam pœnam; v. g. quicumque venatus fuerit, pendet 30, quo casu non committitur venando culpa theologica, sed tantum civilis et juridica. Tales leges censentur esse pleræque venatoriæ, militares etc. His non obstat c. 2. de Const. can. 4. d. 3. c. 1. et seqq. de pœnis, l. 2. ff. de LL. ibi: *justorum et injustorum*, paritas à censuris, pœna conventio-

nalis, mortis etc.; nam ut aliqua pœna incurratur, sufficit culpa politica, seu juridica (arg. reg. 23 in 6.)

3.º Pœna *medicinalis*, uti censura ipso jure lata, incurritur ante sententiam declaratoriam, quia tendit ad emendationem.—*Vindicativa*, sive sit *positiva*, sive *privativa*, etsi ipso jure sit incurta, non stringit, nisi post sententiam declaratoriam criminis, quia ab humanitate alienum est ut quis sui ipsius vindex sit spoliando se possessione, beneficio etc.; sententia tamen lata retrotrahitur ad tempus delicti.—Si verò pœna fuit *ferendæ sententiæ*, non habet effectum suum, nisi post sententiam condemnatoriam.—*Conditionalis*, cum non sit propriè pœna, sed dispositio juris concedens jus quærendum sub conditione, incurritur ante sententiam judicis; quia Legislator non vult aliter jus istud concedere, nisi posita conditione. Plura de his ad tit. de pœnis, et tit. de sent. excom. lib. 5.

23. Q. II. *Quid, et quotuplex sit lex irritans?*

R. 1.º Est quæ actum contra formam juris celebratum reddit invalidum, seu nullum; et ista irritatio fieri potest dupliciter: expressè addito decreto, seu clausula irritante, v. g. *aliòquin actus sit ipso jure, ipso facto nullus, nullius roboris, nullas vires, nullam firmitatem obtineat etc.*; et tacitè vel æquivalenter, dum lex actui præscribit formam substantialem, sine qua actus utique est nullus. Quando autem lex præscribat formam substantialem, et quando accidentalem, ex subjecta materia et textu colligi debet.

2.º *Lex prohibens non hoc ipso est irritans.* Ità Canonistæ contra multos Legistas. Prob. ex c. 16 ad Apostolicam de Regul. ibi: *Multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Imò nec de jure civili lex simpliciter prohibens est hoc ipso irritans: nam secundæ nuptiæ intra tempora luctus prohibentur femina sub pœna infamiæ (l. 4. et 2 C. de secund. nupt.), et tamen non irritantur jure civili. Secunda venditio rei venditæ prohibetur sub pœna falsi (l. 21 ff. ad L. Corn. de fals.), et tamen talis venditio jure tenet (l. 15 C. de R. V.) Sententia sub conditione prohibetur dici, et tamen dicta valet (l. 4 § 5 ff. quando appell.) Ratio est, quia hæc duo: *prohibere et irritare* sunt diversa, neque unum inferitur ex altero: sic enim testamentum sine solemnitatibus, professio Religiosa ante expletum annum 16, irritatur, non tamen prohibetur, cum ita testari vel profiteri non sit peccatum: econtrà matrimonium sine denunciationibus, vel cum voto simplici castitatis graviter prohibetur, non tamen irritatur; ergo.—His non obstat celebris lex 5 non dubium C. de LL. ibi: *Licet Legislator prohibuerit tantum etc.*; nam, cum lex ista contradicat juri-bus aliis, intelligenda est de illa lege prohibente, quæ virtualiter est irritativa, ut si præscribat actui formam substantialem. Ceteri textus, ut reg. 64 in 6 § 7. In quib. ex caus. manum. § 1 de adopt. et similes dicentes actum contra jus gestum esse nullum, intelligendi sunt de nullitate, vel ipso jure, si lex est irritans; vel quoad effectum, si lex est purè prohibens, quia actus contra eam gestus rescindi potest, si natura sua solubilis est. Sicut econtrà actus ipso jure nullus dicitur quandoque rescindendus non de jure,